



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disput. XXVII. De Potentia Obedientiali latâ, seu cujusvis ad quodvis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

tus supernaturales, adhuc definit Concilium post excitationem & motionem Divinam non se habere voluntatem merè passivè, ergo debet physicè simul cum habitu supernaturali concurrere ad eliciendum actum supernaturalem.

VIII.
Aliud est
de volun-
tate, aliud
de habitu
superna-
turali.

Dices, anima censetur liberè operari, licet sola voluntas operetur; ergo & voluntas dici poterit operari, licet solus habitus actum eliciat. Contrà pri-

mò, nam antecedens fortè est falsum, de quo in li-bris de Anima. Contrà secundò, voluntas est potentia vitalis, & libera, ac proinde est aliqua saltem apparentia cur anima denominetur vitaliter & liberè operans per actum liberè à potentia liberè elicitum, hic autem habitus supernaturalis nihil in se habet vel vitalitatis, vel libertatis, sicque actus ab illo solo procedens nec esset vitalis, nec liber.

DISPUTATIO XXVII.

De potentia obedientiali lata, seu cuiusvis ad quodvis.

AD quodvis, inquam, ubi non est specialis repugnantia, ubi enim esset repugnantia vel implicatio, certum est non dari huiusmodi potentiam, cum dari nequeat ad impossibile. Prius verò quam ad res ullas in particulari descendamus, inquirendum num ex eo quòd nulla appareat in re aliqua implicantia, sufficiens fundamentum sit, ut quis prudenter asserat rem illam non implicare, non levis enim inter recentiores est hæc de re controversia.

SECTIO PRIMA.

An non-apparentia implicantie fundet assensum de rei possibilitate.

I.
Propo-
nuntur
status
questionis.

Prima sen-
tentia est
negativa.

DOCTI quidam recentiores, ut negent potentiam obedientialem latam, hanc consequentiam, non apparet implicantia cur musca eleveur ad creandum Angelum, ergo potest elevari ad eum creandum, ajunt non esse legitimam, nec ex illo antecedente posse quempiam prudenter inferre, posse muscam per elevationem assumi ad hunc effectum. Licet enim, inquiunt, implicantia illic non appareat, potest tamen esse, nullius enim tam perspicax est ingenium, quamvis doctus sit, & his in rebus versatus, ut omnia, quæ in re aliqua latent, discernat. Quare, negant in his circumstantiis prudenter judicatarum quemquam, vel posse muscam ad hunc effectum elevari, vel non posse, sed ajunt suspendendum esse judicium. Et ex hoc principio non admittunt potentiam obedientialem latam, ut vocant, quæ scilicet res quævis quilibet fermè efficiat.

II.
Secunda
affirma-
tiva.

Alijè contrà, sicut si revera nulla sit implicantia, res est possibilis, ita si nulla appareat, seu nihil absurdum, aut ridiculum, ajunt prudenter affirmari posse rem illam esse possibilem. Acris utrimque est disceptatio, quid in hac re sentiam, sequentibus conclusionibus declarabo.

III.
Non valet
semper hæc
consequen-
tia, Non
apparet
implican-
tia, ergo
res potest
esse.

Dico primò: universim loquendo, hæc consequentia non rectè semper deducitur, non apparet implicantia quominus res aliqua sit, vel esse possit, ergo est res illa, vel potest esse. Hanc conclusionem neminem existimo negaturum. Duplici verò ex capite fieri potest ut hæc consequentia non teneat, ex parte scilicet intellectus judicantis, & rei de qua fertur judicium. Sic si rusticus, aut ignarus aliquis re quampiam objectâ, statim eam vel possibilem esse pronuntiaret, vel impossibilem, haud dubiè imprudenter faceret, cum isthæc captum ejus superent: meritò proinde de eorum numero censendus esset, qui ad paucos resicientes definiunt.

IV.
Intellectus
hic judi-
cans sicut
cæcus de
coloribus.

Ex parte verò rei judicatae tunc contingit prudenter ferri judicium non posse, quando est planè improporcionata: ita ut intellectus nihil omnino

inveniat, in quo figat pedem. Sic, imprudenter quis judicaverit astra vel paria esse, vel imparia, cum huic objecto oculos mentis habeamus clausos, & de hoc ferre judicium perinde est, ac si cæcum judicaret de coloribus, & quis hic existens judicare vellet qua parte ventus flet apud Antipodas.

Dico secundò: ex eo quòd non appareat implicantia, non potest quis (nisi fortè in rarissimo aliquo casu) certò affirmare rem illam non esse impossibilem. In hoc etiam puto non magnam fore inter auctores disensionem, ex eo enim quòd vir, etiam doctus, in re aliqua non videat implicantiam, non sequitur manifestè nullam illic implicantiam latere, nec ullum motiolum habet ex quo hoc certò pronuntiet.

Quo sensu existimo loquutum esse P. Vasp. i. p. d. 75. c. 2. n. 11. illis verbis. *Observandum est, inquit, ut, asseveremus aliquid à Deo fieri posse, non semper satis esse, non apparere nobis contradictionem aliquam: siquidem re ipsa esse potest, etiam si nobis non appareat. Nisi malit quis cum explicare quòd velit, ut affirmemus aliquid Deo esse possibile, non semper sufficere quòd nobis non appareat implicantia, quia nimirum, licet nobis non appareat, habemus tamen auctoritatem aliquorum quòd illic sit aliqua implicantia. Et sanè his modis probabiliter videtur explicari posse: nostram verò sententiam clarissimè docet, ut paulò post videbimus.*

Hoc etiam probat locus ille scripturæ, Sap. 9. v. 14. *Cogitationes enim mortalium vanae, et incerti a providentia nostræ, corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimis sensum multa cogitantem, et difficile estimamus quæ in terra ista sciuntur, et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, rursus cogitamus, et c. si ergo eorum, quæ nobis ob oculos ponuntur, notitia sit incerta, id est, varijs erroribus intermixta, de ijs certè quæ sensum fugiunt, suntque per se abstrusissima, qualia sunt possibilitas & impossibilitas rerum, agrè cognitione scientificâ habere possumus.*

Dico tertio: Si viro docto seriâ consideratione rem perpendenti, omnibusque quæ ad ejus impossibilitatem afferuntur sedulò discussis, nulla in ea appareat implicantia probabiliter & prudenter inferre poterit eam esse possibilem. Hanc existimo communem esse Theologorum & Philosophorum sententiam, qui tum demum probabiliter se rei alicujus possibilitatem ostendisse autumant, dum quæ contra eam opponuntur, solverint.

Primò ergo Sua. i. p. l. 2. c. 13. n. 10. postquam dixisset esse possibilem speciem impressam Dei: ratio, inquit, hujus assertionis est, quia nulla contradiçtionis implicatio, vel repugnantia in hoc invenitur & c. & l. i. de Angelis c. 15. n. 3. ubi disputans de possibilitate plurius Angelorum numero tantum distinctorum, sic habet: *Contentus ero brevi responsione fundamentorū, quia eo ipso quod ex parte rei non ostenditur, neque ostendè potest implicantia.*

V.

VI.
Explica-
tur locus
quidam P.
Vasquez
hæc de re.

VII.
Hic locus
Sap. apertè
probat non
posse res
sciri
nec cogi.

VIII.
Primaria
hæc in re
conclusio.

IX.
Probat
auctoritate
Theologo-
rum. P.
Suares.

Implicantia, probatur id fieri posse à Deo. Quid clarius ? quod & alibi sæpè tradit.

X. Idem docet P. Raynaudus d. 8. Theol. Moral. q. 5. a. 2. n. 300. ubi de hac ipsa reloquens, sic habet. Si occurat, inquit, contradiçtio, negandum erit rem esse à Deo factibilem, si non interveniat, fatendum erit eam esse Deo possibilem. Et quamquam, quandiu non probatur positivè quod desit contradiçtio, tantumq, nulla nobis occurrat, non adfit sufficiens fundamentum absolutè pronunciandi rem esse possibilem, quia potest contradiçtio latere, & subesse, quamvis non appareat, tamen tunc non habemus unde eam negemus possibilem; & ex anticipato Divina perfectionis & potentie, nostra autem in rerum naturà penetranda imbecillitatis præjudicio, simpliciter licet affirmare rem esse possibilem; non quod talis eo ipso probetur evidenter, sed quod verisimiliter talis censetur, cum nulla repugnantia occurrat, examine præmissio.

XI. En ut totidem verbis sententiam nostram tradit hic auctor, nempe, licet ex eo quod non appareat contradiçtio, non possit quis absolutè, & evidenter seu aucti scientifico asserere rem esse possibilem, posse tamen eum simpliciter id affirmare (actu scilicet opinativo, & probabili) verisimiliter enim, inquit, possibile censetur, cum nulla repugnantia occurrat, examine præmissio. Cujus verba eo fusiùs retuli, quod nonnulli eum citent pro contrarià sententià.

XII. Idem habet Ericus t. 4. d. 40. n. 82. Fasol. 1. p. q. 7. art. 4. d. 12. num. 12. & q. 12. Mol. 1. p. q. 12. d. 1. concl. 4. Valentia t. 4. d. 1. q. 3. p. 3. §. Ideo plenius Tanner. 1. p. d. 2. q. 11. d. 4. n. 4. Ripald. l. 1. de ente Superio. d. 11. f. 3. n. 12. Granado tr. de poten. Dei. d. 9. n. 14. Arria. d. 11. Phys. f. 4. Oviedo con. 7. Phy. p. 7. n. 7. & con. 8. p. 2. §. 2. n. 14. & con. 9. p. 7. §. 2. n. 7. & alij tum recentiores, tum antiqui.

XIII. Tandem Vasq. (quem adversarij à se stare existimant) aperte hoc idem docet 1. p. d. 77. c. 5. n. 18. ubi postquam dixisset creaturam potuisse esse ab æterno, sic subdit: Hoc autem manifestum erit, si solverimus rationes quæ huic sententiæ solent opponi. Et 3. p. To. 1. d. 74. c. 7. n. 49. id ipsum clarissimè tradit, nempe, si nullam in aliquo objecto implicationem contradiçtionis inveniamus, virtutem ut potentiam illud producendi tribuamus virtuti Divinæ. Quare non possum non mirari non neminem, qui (licet multum se operæ in auctoribus hac de re perlegendis posuisse asserat) dicit nihilominus vix quemquam, præter unum P. Arriagam, affirmasse non apparentiam implicantie in re aliquà post maturam illius inspectionem sufficere, ut quis prudenter, ac probabiliter judicet eam non esse impossibilem.

XIV. Non rectè à quibusdam citatur P. Raynaudus pro contrarià.

XV. Distram sententiam tenet P. Vasquez.

SECTIO II.

Ratione ostenditur, ubi non apparet implicantia, rectè inferri, rem esse possibilem.

I. Probatur primò; si enim vir doctus, & in hisce rebus versatus, post seriam rei alicujus discussionem, nullam in eà discernat implicantiam, probabiliter sibi persuadere potest nullam esse: quidni enim adhibita sedulà intellectus persequatione, æquè hoc in re illà prædicatum adverteret, ac alia advertit, quamvis abdita subinde, & abstrusa, & maxime à sensibus remota? Certè immeritò is temeritatis argueretur; & conseretur improbabilius discurre: aut si hic præceptis censetur, quis demum existimabitur prudens?

II. Dices; quantumvis nulla ipsi prædicata contradiçtoria in re illà appareant, possunt tamen illic esse, unde errandi se periculo exponit, dum negat ibi

R. P. Tb. Comptoni Philosophia.

latere implicantiam, quæ fortasse illic later. Sed contrà, si enim idcirco temerè quis procedere censeatur, & errandi se periculo exponere, quod res aliter se habere possit, quam ipse judicet, ergo licet pro implicantia in re illà habeat quis rationem positivam probabilem, imprudenter censebitur assensum præbere, & temerè de eà judicium ferre, omnis enim ratio probabilis est fallibilis, & in hoc differt à certitudine, ergo res aliter se habere potest, ergo errandi se periculo exponit. Imò hinc ulterius sequeretur, neminem non rationi probabili, cognitæ ut probabili, posse citra imprudentiæ notam assentiri, cum, secundum hunc philosophandi modum, temeritatis se periculo exponeret.

Probatur secundo: hæc argumentatio in scholis (assentientibus etiam adversariis) semper est habita legitima, nulla apparet inter res aliquas disparitas, ergo nulla est: nulla apparet necessitas statuendi unionem distinctam inter animam & corpus, actionem inter agens & terminum, ergo nulla est actio vel unio ab eis distincta, & alia hujusmodi. Et hinc ortum habuit principium illud, equus Occami dictum, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quod in scholà Nominalium semper Graculi instar est habitum. Sicut ergo ibi secundum omnes nulla censetur esse disparitas, aut talis vel talis entitatis necessitas, ubi nulla apparet, meritò etiam censebitur nulla esse implicantia, ubi similiter nulla apparet.

Probatur tertio: & ostendo hoc principium, non in casu solùm præsentis, non apparentis sc. implicantie, sed in omnem opinionem probabilem influere. Inquiri itaque, cur viri, etiam docti (quod frequenter fit) ubi ob rationes quasdam probabiles opinionem aliquam tenuerant, postea tamen eam deserunt, & feruntur in oppositum? Dices; quia jam, re melius consideratà, novæ apparent rationes, quæ antea non apparebant, quarum efficacità, vis priorum argumentorum retunditur, & novà obortà luce, mens primà relicta, aliam opinionem amplectitur. Contrà, ergo adæquata ratio, cur priori sententiæ adhærebant, non erant solæ illæ rationes, sed simul etiam non apparentia rationis fortioris in contrarium, hac enim illucescente, mens statim resilit, & prioribus tum rationibus, tum conclusione relicta, contrariis adhærescit.

Probatur quarto: humana mens, ut quotidianà constat experientia, longè proclivior est, ut implicantiam illic esse judicet ubi non est, quam ut possibilitatem appingat rei quæ verè est impossibilis, sicque in hoc secundo rariùs error contingit, in priori frequentissimè, ut constat in mysterio Trinitatis, Incarnationis, & aliis plurimis, quæ humana ratio planè judicabat impossibilia, re tamen verà erant possibilia. Inquam rem appositissimè Apostolus 1. ad Cor. c. 1. v. 20. Stultam, inquit, fecit Deus sapientiam hujus mundi, illa sc. divinà virtute fieri posse ostendendo, quæ homines stultà suà sapientià firmissimè judicabant in se implicantiam involvere. Sic in rerum creatione stultum ostendit illud Philosophorum oraculum, Ex nihilo nihil fit, quo ducti mundum statuebant ab æterno. Sic in sacrosanctà Eucharistià, stultà illa alia principia probavit, Accidens non potest esse sine subjecto, corpus nequit esse in duobus locis, & similia, quæ quantumvis lumen naturale judicabat impossibilia, Dei tamen virtus declaravit esse possibilia. Unde in hæc ipsa verba sic ad rem nostram scribit S. Augustinus, sapientiam hujus mundi fecit Deus stultam, faciendo & declarando esse possibile, quod ipsa judicat impossibile. Quod etiam expresse docet S. Anselmus l. 2. Cur homo Deus, & alij.

Hæc ed adduxi, ut probent intellectum humanum multò magis pronum esse ad invenientas in

Alioqui, ubi habet probabilem rationem, non posset judicare imprudenter.

III. Probatur sc. cundò ad hominem.

IV. Hoc principium influit in omnem opinionem probabilem.

V. Probatur quare ex modo procedenti menti humana.

Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.

S. Augustinus. S. Anselmus.

VI.

re aliquâ difficultates, quam ad solvendas: quod cum viro docto compertum sit, ipso facto quod post sedulam disquisitionem nullam in re menti objectam implicantiâ reperiat, (ad quam reperiendam omnes sunt adeo proclives, & quodam naturæ impetu feruntur) prudenter sibi persuadere potest nullam esse, facile enim appareret implicantiâ quæ est, cum plurimæ rem quampiam consideranti ingerere se ultro soleant, quæ non sunt.

VII.
*Explicatur
S. Aug. quidam
P. S. Aug.*

Hoc & nihil aliud vult P. Suar. loco ab adversariis pro sua sententiâ citato, d. 30. Met. f. 17. n. 26. ubi ait, intellectum humanum fidei lumine destitutum facile in mysteriis fidei decipi, impossibilitatem sc. ubi non est, imaginando; quia nimirum multo proclivior est ad difficultates & implicantiâs in re aliquâ excogitandas, quam solvendas. Unde, inquit, ubi in hujusmodi rebus impossibilitas se ejus menti ingerit, merito suspendit judicium. Hoc autem nihil facit contra nos; imò confirmat potius hanc probationem nostræ conclusionis, quam manifestum est Suarium tenuisse, ut clarè ostensum est f. 8. n. 9. Dici etiam posset eum primâ parte, & in operibus illis metaphysicâ posterioribus mutasse sententiâ.

VIII.
*Non est hoc
lumen merè
negativum.*

Hinc infero, lumen hoc, quo quis judicat, rem in qua nulla apparet implicantiâ, esse possibilem, non esse merè negativum, sed probabile, & positivum ad hoc asserendam deduci argumentum. Deinde, quæstio procedit de viro docto, eoque non cursim, & levi solum oculorum conjectu rem intuentem, sic enim nihil distaret ab indocto, sed seriâ consideratione eam perpendente, & omnibus accuratè discussis, implicantiâs quæ occurrunt, solvete: hinc autem non videtur dubium quin probabile de illius possibilitate formare possit judicium. Et licet subinde erret, prudenter tamen errat, nec quisquam vitio ei vertere potest, si fallatur. Sin autem velint aliquem ex re obiter tantum inspectâ, judicium de illius possibilitate ferre, quod primò statim aspectu nulla in ea appareat implicantiâ, opinionem impugnât, quam, ut existimo, nemo tenet. Dicunt enim omnes debere primò rem maturè perpendi: secundò, objectiones accuratè solvi, & alia quæ in probatione nostræ sententiâ totâ hac sectione sunt allata: quæ, ut opinor, abundè sufficiunt ad sententiâ prudenter & probabiliter de rei alicujus possibilitate ferendam.

*Qui, re se
anlo inspectâ,
in judicando
errat, incul-
patè errat.*

SECTIO III.

*Objectiones contendentes, ex non apparentia
implicantiæ non rectè inferri rei
alicujus possibilitatem.*

I.
*Opponitur
S. Augustinus
Origines.*

Multa eruditè congerunt adversarij, ut hoc factum placitum illustrent, nullique vel labori parcunt vel industriae, ut illius probabilitatem declarent, digni meliore causâ cûse patronos præstent.

II.
*Opponitur
S. Augustinus
Origines.*

Opponunt ergo primò auctoritatem quorundam Patrum: nam S. Augustinus adversus Julianum, de peccato originali disputans, rei difficultate oppressus, sic scribit; *Quid autem horum sit verum, libentius disco quam dico, ne videar docere quod nescio.* Sixtus item Senensis l. 4. in magnâ Originis laude ponendum censet, quod nihil temerè definierit. Sed contra, hæc enim nos nullo modo tangunt, qui non minus, quam adversarij, asserimus non esse temerè de re ullâ pronuntiandum. Dicimus tamen sicut prudenter nonnunquam suspenditur judicium, ubi id rei gravitas postulat, ita, dum probabilis in partem alteram apparet ratio, non sine vitio tantum, sed etiam cum laude ferri posse sententiâ. Hic autem

*Non sine vi-
tione tantum,
sed cum lau-
de subinde
ferri se
tenet.*

sufficientem esse rationem ostensum est sec. præcedente.

Opponunt secundò, lumen naturale est admodum debile, quodque in rebus etiam ante oculos positis, in dies cæcutire animadvertimus, quanto ergo magis in abditis, & à sensuum experimento remotis deficiet. Sed contra, ergo etiam si habeat quis rationem probabilem de possibilitate vel impossibilitate alicujus rei, non poterit prudenter de eâ ferre judicium, cum lumen naturale sit admodum debile, & infirmum, quod tamen negant adversarij: de quo plura dixi sec. 2. n. 2. Resp. itaque hoc ad summum probare, non posse quemquam certò inferre possibilitatem alicujus rei ex non apparentiâ implicantiæ, non tamen, non posse id inferre probabiliter, cum hoc ipso quod viro docto rem plenè discutienti nulla appareat implicantiâ, prudenter judicare possit nullam esse: ut supra ostendi f. l. n. 5. & f. 2. per totam.

Opponunt tertio; non potest quis ex eo quod nulla appareat implicantiâ, prudenter judicare de stellis, pares sint an impares, ergo nec rem esse possibilem; ex eo quod nulla appareat implicantiâ, cum sit solum lumen negativum. Nego consequentiam, cujus rationem supra reddidi f. 1. n. 4. & f. 2. n. octavo.

Ad id verò quod objicitur, hoc esse lumen negativum. Resp. primò, aliquando ex lumine negativo rectè inferri consequentiam: sicut ex eo quod quis oculis apertis in hoc gymnasio non videat elephantem, rectè intulerit hic non esse elephantem. Sicut ergo in hoc casu secundum omnes, ex lumine negativo inferitur tanquam certum certitudine physica, hic non esse elephantem, ita in nostro casu inferetur tanquam probabile nullam in re hac esse implicantiâ. Deinde dico hoc non esse lumen merè negativum, cum non ex solâ quacunque non apparentiâ implicantiæ oriatur hoc judicium, sed ex plenâ rei discussione, & argumentorum solutione, quæ arguunt lumen plusquam negativum.

Dices; disparem esse rationem in illo casu de elephante, & de implicantiâ, vir enim ille oculos habet, & lucem per quam objecta discernat, intellectus autem in rebus his abstrusis, nec lucem habet, nec oculos, sed cæcutit planè, & quasi palpando incedit in tenebris.

Contra, adversarij ipsi de rebus longè obscurioribus, magisque abstrusis sæpè ferunt judicium, ut de continuo, infinito, actu libero Dei, & hujusmodi; respectu tamen quorum intellectus nostri oculis longè potiore jure cæcus dici potest, quam in questione de objecti alicujus implicantiâ.

Resp. itaque intellectum de rebus, de quibus hic disputamus, non esse aut luce, aut oculis destitutum, sed sibi & lucem esse & oculos. Unde viri docti, ubi rem aliquam maturè inspexerint, & objecta solverint, persuadere sibi probabiliter possunt nullum in eâ re prædicatum impossibile latere, ut supra declaratum est: præsertim si aliarum rerum inhibeatur comparatio, vel æquè vel magis difficultum, quas tamen cognoscimus esse posibles.

Unde Theologi passim in materiâ de Angelis, dum quæritur sintne plures Angeli posibles, nullo tantum distincti, ubi Angelorum naturam consideraverint, & quæ opponuntur solverint, plures numero tantum distinctos posibles esse pronuntiant, nec argumentum aliud ad hujus decisionem quæstionis requirunt, ut supra ex Suario ostendit sec. 1. n. 9. Alioqui dubitare quisvis deberet, an aliud aliquod individuum, præter ea quæ de facto creata sunt, sit possibile, alius scilicet sol, aut luna, & similia.

Oppo-

X. Opponunt quarto; nisi ratio aliqua positiva ad rei possibilitatem probandam afferatur, non magis sequitur eam esse possibilem quam impossibilem, ergo in neutram partem prudenter ferri potest iudicium. Resp. jam ostensum esse hic esse argumentum positivum. Deinde, sicut aliquid reipsa esse possibile est illud nulla in se continere prædicata contradictoria, ita apparere illud ut possibile, est cum probabilitate nulla in eo apparere prædicata contradictoria: hoc autem probabiliter hic ostendi, satis declaratum est hac sectione & præcedente. Sicut si quis argueret, alium mundum similem, à paritate quam cum hoc mundo habet, esse possibilem, & alia negaret paritatem, recte secundum omnes eam probaret dicendo nullam apparere disparitatem: quod si alter adhuc insistat, nec apparere paritatem, malè ab omnibus respondere cerneretur, cum ipso facto quod res appareant, & nulla in eis disparitas, apparere censeatur paritas. Idem est in præsentī de possibilitate. Alia quædam à nonnullis opponuntur, sed quæ ex dictis facile solvi possunt.

SECTION IV.

An in re quavis detur potentia obedientialis ad producendum quidlibet.

I. Prima sententia est negativa, atque exceptis iis in quibus fides docet esse vim quandam effectum supernaturalium productricem, res omnes alias suis limitibus coerceri, & certum effectuum quibuscum peculiarem habent connexionem, numerum non excedere, ita Scotus cum suis in 4.d.1.q.4. & 5. Valq. 1.p.d.176.c.4. & 3.p.d.132.c.6. Regula 3.p.d.107. licet n.11. contrarium probabile esse asserat propter auctoritatem Suarij, Erice 1. p.d. 23. n.8. Alarcon tract. de Angelis d.9.c.9. hanc etiam sententiam acriter defendit Conineck 3.p.q.62.a.4. & multi amplectuntur ex recentioribus.

II. Secunda sententia affirmat dari in rebus omnibus potentiam innatam seu inchoatam, quam obedientialem vocant, ad effectus supernaturales, ut aquæ ad gratiam, musæ ad Angelum producendum, &c. ita Suar. To.1. in 3.p.d.31.f.5. & 6. & d.43.f.4.n.9. Arubal To.2.d.181.c.3. in 1. partem. Valen. 3.p.d.1.q.13.pu.2. Mol. 1.p.q.45.d.2. § ad tertium. Tanner. to.4. disp.3.q.3. du.3. Hurt. d.9. Phy. f.14. subf. 2. Albert. in primopincip. Philof. q.7. & in 2. princ. q.1. Arria. d.11. Phy. f.4. Marat. de Sacram. in Genere d.4. Kellif. de Incarn. q.13.a.2. dub.2. & de sacram. q.62.a.1. dub.2. Oviedo cont.9. Phy.p.7. §.2.n.7. de quibusdam rebus possibilibus, estque communissima inter recentiores opinio.

III. Prima conclusio: peculiaris in quibusdam rebus inventa repugnantia obstat, quod minus in iis ad certos effectus detur potentia obedientialis activa, aut passiva. Quoad activam, in primis idem elevari nequit ad primò producendum seipsum, cum existentia pro aliquo priori requiratur ad agendum, ut supra ostendi d.18.f.3. Secundò, nihil elevari potest ad producendam actionem, cum enim ipsa sit productio, produci per aliam actionem non potest, magis quam albedo per aliam albedinem reddi alba. Tertiò, nihil elevari potest ad producendum peccatum, odium Dei ex. g. Deus enim ad peccatum peculiari, & indebito modo concurrere non potest. Quoad potentiam etiam passivam, unus Angelus, una materia aut forma substantialis, una etiam albedo, aut quantitas elevari nequit ad informandam aliam. Et sic de aliis.

IV. Secunda conclusio: in re qualibet ubi peculiaris

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

huiusmodi repugnantia non apparet, datur vis quædam innata ad obediendum creatori seu potentia tam activa quam passiva ad formas & effectus, spectatam merà rerum naturà, iis omnino improporcionatos. Ita auctores secundæ sententiæ.

Probatur primò auctoritate S. Augustini l. 9. de Trin. c.17. ubi universim statuit potentiam aliquam seu aptitudinem in creaturis omnibus ad obediendum creatori, & in elementis ait esse vim quandam, quam vocat *semen occultum* ad effectus naturalem eorum vim excedentes. Deinde ob illud Gen. 1. *germinet terra herbam virentem* &c. ait Augustinus *jubente creatore aqua, prima natatilia, & volatilia producit, sicut & terra prima germina, & prima animalia.* Clarissimum verò hac de re S. Augustini testimonium est illud l. 5. de Gen. ad literam c. 27. ubi cum vim naturalem rerum descripsisset, subiungit *super hunc autem motum cursumque rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud quam eorum quasi feminales, id est, naturales rationes habent.*

Secundò probatur ex S. Thoma, tum aliis locis, tum q. 6. de poten. a. 4. qui est de miraculis; ubi, licet affirmet solum Deum, cum auctor naturæ sit, posse propriam virtute miracula patrare, alios tamen dicit ex gratiâ, seu favore peculiari posse etiam ea facere, & non moraliter solum, nempe precibus rem illam impetrando; vel dispositivè, sicut Angeli virtute naturali colligunt pulverem ex quo hominum corpora in resurrectione compinguntur, qui Divinâ virtute reducuntur ad vitam: sed etiam ut supernaturale aliquid operentur, coagendo cum Deo auctore supernaturali, citatque S. Gregorium l. 4. Dialog. dicentem sanctos quandoque miracula operari orantissimum, S. do, quandoque ex potestate, & tanquam instrumenta Dei supremi artificis.

Idem habet S. Thomas in 4.d.8.q.2.a.3. ad 4. his verbis, *sicut creatura inest obedientia potentia, ut in ea fiat quicquid creator disposuit, ita etiam ut ea mediante fiat, quæ est ratio instrumenti.*

Tertiò prob. ratione: spectat ad perfectionem & commendationem creatoris, ut possit rem quamlibet ad quovis effectus adhibere ubi non involvitur implicatio, ut per instrumenta quæque vilissima effectus nobilissimos præstare. Sicut pictori illi maximæ laudi verteretur, qui baculo quovis obvio æquè excellenter pingere, tractusque artificiosos, ac lineamenta ducere posset, ac quivis alius maximè concinnus, & affabrè factio penicillo: & quantò instrumentum quo utitur est imperfectius, tanto major est laus artificis. Cum ergo nulla in hoc appareat implicatio, quod Deus per lapidem producat solem, aut per aquam gratiam, quidni eum facere posse dicamus?

Quartò: datur potentia obedientialis in animâ rationali, & Angelo respectu visionis beatificæ, & aliorum actuum supernaturalium, ergo & dari in aliis rebus poterit ad effectus in entitate supernaturales, cum non sit major improporcion inter has, & illos effectus, quam inter animam, & visionem beatificam.

Respondet P. Valq. citatus, in visione beatificâ esse peculiarem formalitatem, quæ correspondet potentie vitali, nempe vitalitatem; at in gratiâ nulla est formalitas, quæ correspondeat aquæ. Contrâ primò, à parte rei formalitas vitalitatis in visione beatificâ est realiter identica cum supernaturalitate, ergo quod à parte rei convenit uni, convenit alteri: ergo si à parte rei supernaturalitas sit improporcionata intellectui, seu animæ, etiam vitalitas est illi improporcionata, & vires illius naturales excedens. Si autem non sumatur intellectus per se, sed conjunctus cum Deo auctore supernaturali, æquè

D d 3

propor-

Datur potentia obedientialis lata.

Probatur primò auctoritate S. August.

Probatur secundò auctoritate S. Thome.

Miracula, non quoad modum tantum, sed quoad ubi tantum, S. Gregorius.

Probatur ratione.

Quartò probatur à parte anime rationalis.

Refellitur responsio de correspondentiâ formalitatum.

proportionata est aqua, cum auxilio supernaturali, ad producendam gratiam, ac intellectus cum eodem ad visionem beatificam.

X. *Secundò re-
flectitur ea-
dem respon-
sio.* Contrà secundò, tantam habet proportionem in prædicatis, & formalitatibus potentia cognitiva bruti cum actu intellectus naturali, ac potentia intellectiva cum visione supernaturali; sicut enim hæc conveniunt in ratione entis, accidentis, qualitatis, & representationis spiritualis, solumque est impropor- tio in ratione supernaturalitatis, ita ibi in reliquis conveniunt, præterquam in ratione spiritualitatis: sicut ergo in uno casu distantia unius formalitatis potest suppleri à Deo, quidni poterit in altero? nec facile reddi potest ratio, cur non æquè possit res corporea, sive substantia sit, sive accidens, elevari ad producendum rem spiritualementem, ac res naturalis rem super- naturalem.

XI. *Instantia
varia con-
tra negantes
potentiam
obedientia-
lem.*

Contrà tertio, saltem nulla reddi potest ratio secundum hanc respon- sionem, cur non possit unus Angelus, vel anima elevari ad producendum aliam animam, vel Angelum, aut saltem ad producendum formam ignis & aquæ, vel alius substantiæ, aut acci- dentis, naturæ suæ generabilis; cur etiam unum lu- men gloriæ elevari nequeat ad producendum aliud, sol ad alium solem, albedo ad albedinem, & sic aliis.

XII.

Quartò probatur conclusio: instrumentum eo plus potest, quo perfectiori agenti principali con- jungitur, calor ex. g. solus producere tantum potest calorem, vel accidens, conjunctus substantiæ potest producere substantiam, ut cum igne ignem, cum so- le metalla &c. cum semine & plantis efficere potest generationem & nutritionem plantarum. Unde Ari- stoteles 2. de Anima, tex. 40. & 41. ait ignem, id est, calorem, cum animâ primâ, scilicet vegetativâ, effice- re nutritionem in plantis & aliis viventibus: conjunctus vero calor cum animali, producit animal, ergo cum Deo producere potest omnia, omnia, inquam, in quibus non involvitur implicantia, cum secundum ma- jorem vel minorem vim causæ principalis, plura vel pauciora possit instrumentum, ut vidimus. Conf. puer, ex se debilis, conjunctus viro potest magnum aliquid pondus elevare, ad quod ex se est impar, & cum pluribus & fortioribus concausis potest majus & majus pondus elevare in infinitum, ergo & crea- tura, quamvis imperfecta, & paucarum ex se vi- rium, conjuncta tamen Deo poterit quilibet.

*Calor cum
animâ pri-
mâ efficit
nutritionem.*

*Quo fortior
est causa
principalis,
eo plura po-
test instru-
mentum.*

XIII.

Quintò probatur: datur in materiâ primâ poten- tia obedientialis passiva ad unionem Hypostaticam, ut constat in corpore Christi, unde deducunt aliqui ex adversariis formas etiam materiales habere poten- tiam ad eandem unionem; sicque in Christo assump- tos à Verbo fuisse dicunt Theologi quatuor humo- res humani corporis, capillos etiam, ungues, dentes &c. & quoad sanguinem affirmat S. Thomas 3. p. q. 5. art. 2. fuisse etiam in triduo unitum Verbo, imò ait Suares in 3. p. d. 15. sect. 6. contrarium hoc tempore sine errore defendi non posse, cum tamen hoc non habeatur immediatè ex revelatione, sed solum à pa- ritate rationis deducatur per discursum. Quidni ergo similiter per discursum deducere licebit in aliis etiam rebus, præter animam, dari potentiam obedi- entialem ad producendum res supernaturales? cum, stando præcisè in lumine naturali, longè magis su- peret captum nostri intellectus, quomodo possit ele- vari lapis, ut sit Deus, quàm quomodo elevari pos- sit ad producendum ignem, solem, vel etiam gra- tiam.

*Probatur à
paritate po-
tentia passi-
væ.*

XIV.

Conf. primò, si sit possibile corpus simplex, non puto negaturos adversarios quin per consequentias deduci à paritate rationis possit, assumi illud posse à Verbo, sicut & Angelum assumi posse affirmant om-

nes, quia potest anima: quidni ergo sicut potest anima & Angelus producere effectus supernatura- les, non poterunt aliæ res eosdem producere? Conf. secundò, si in materiâ sit potentia obedientialis pas- siva ad unionem Hypostaticam, quæ est sanctitas substantialis, & perfectissima, quidni & ad gratiam habitualementem, & alia dona supernaturalia recipienda? Conf. tertio, aliqui possent quis similiter dicere sola accidentia posse conservari sine objecto, quia hoc scimus in speciebus sacramentalibus contingere, non verò posse formas substantiales: sin verò ab acciden- tibus ad formas licet deducere argumentum circa existentiam sine subjecto, quidni & ab intellectu ad alias res in ordine ad productionem effectuum super- naturalium?

SECTIO V.

Argumenta contra potentiam obedi- entialem.

O Bjicitur primò: potentia illa in aquâ (idem est de aliis rebus) respectu productionis gratiæ, non est proportionata effectui, ergo non potest illam producere. Contrà, nec anima est proportionata res- pectu actu supernaturalium. Distinguo itaque consequens, ergo non potest eam producere ante elevationem, concedo consequentiam; post eleva- tionem, nego. Urgebis, elevatio non immutat enti- tatem aquæ, ergo si ante elevationem erat impro- portionata, erit & post. Nego consequentiam, licet enim nihil virtutis intrinsecæ ei addat elevatio, ad- dit tamen aliquid extrinsecum, sine quo non potest omnino operari: sicut etiam in rebus & potentiis naturalibus contingit, ignis enim sine concursu Dei in actu primo seu voluntate concurrenti, non potest agere, potest cum illâ, licet hæc nihil addat igni vir- tutis intrinsecæ.

Instabis, ante elevationem non erat intrinsecè potens, post eam intrinsecè potens, ergo elevatio in hac sententiâ addere debet aliquid intrinsecum, cum jam intrinsecè aliquid habeat, quod antea non habebat. Contrà, idem argumentum fieri posset de concursu Dei cum causis naturalibus, hic tamen ni- hil ponit in illis intrinsecum. Resp. ergo negando su- positum, esse enim aliquid potens dicitur duo, intrin- secum unum, entitatem scilicet ipsam rei, extrinsecū alterum, nempe elevationem, vel alteram concau- sam. Ante elevationem ergo, solum erat potens in- adæquate, quia defuit ipsi illud per quod redditur potens completè.

O bjicitur secundò: effectus non exigit talem cau- sam, nec causa talem concursum, ergo non potest vel divinitus illum habere. Contrà, accidentia non exigunt actionem creativam, qua conserventur, nec corpus ubicationem definitivam, quâ modo spiri- tuali existat, aut ut sit in duobus locis, nec duo cor- pora ut sint inter se penetrata, & sic de aliis, & tamen possunt hæc habere divinitus.

O bjicitur tertio: si sit possibilis hæc potentia, hu- manitatis Christi eam habuit ad patranda miracula, sed non habuit, ergo. Minor probatur, Patres enim duo distinguunt operum genera, unum solius Divi- nitatis, & hoc dicunt esse patrare miracula, alterum humanitatis, ut ambulare, loqui, pati &c. Unde S. Leo in Decretali decima ad Flavianum de Christo sic habet: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est, verbo scilicet operante quod Verbi est, carne exequente quod carnis est: unum horum coruscet mi- raculis, (nempe Divinitas) aliud succumbit injurijs. At certe dum Patres dicunt patrare miracula esse opus solius*

III.

IV.

IV.

IV.

IV.

IV.

IV.

IV.

IV.

IV.

IV.

IV.

IV.

*In huma-
nitate Chri-
sti fuit vis
patrandi
miraculæ:*

solius Divinitatis, sicut ambulare, loqui, comedere &c. sunt opera solius Humanitatis, manifestè ostendunt se non excludere omnem concursum humanitatis à miraculis, sicut nec excludere possunt omnem concursum Divinitatis actionibus Humanitatis; unde sicut juxta S. Leonem caro exequitur quod est carnis, licet Deus concurret, ita juxta eundem, Verbum exequi potest quod Verbi est, licet concurrat Humanitas.

*V.
Cur dicant
Patres mi-
racula esse
opera solius
Divinitatis.*

Ideo ergo dicunt Patres miracula esse opera solius Divinitatis, quia tanto intervallo superant omnes vires Humanitatis secundum se sumptæ, ut nihil quasi ad illa conferre videatur: sicut cum puer aliquis simul cum viro levat ingens pondus, vel cum peritus scriptor, aut pictor ducit alterius manum, dicimus puerum nihil facere, & rudem illum cujus manus ducitur, nihil in artificiosis illis figuris & tractibus habere, sed quidquid est artificij, alteri tribuimus, licet Physicè hic etiam ad opus illud artificiosum concurrat, sic dicitur Deus solus bonus, solus habere immortalitatem, & Propheta regius dicit, tibi soli peccavi, licet certum sit eum homines etiam peccato illo offendisse.

*VI.
Dens non
potest sup-
plere defe-
ctum causæ
formalis.*

Obijciatur quartò: non potest Deus facere ut lapis intelligat, aut brutum videat Deum, ergo nec commendat quidquam potentiam Divinam, quòd efficere possit ut aqua producat gratiam, nec quidquam derogat quod non possit. Nego consequentiam, Deus enim, sicut impedire non potest effectum formalem formæ in subiecto apto, ita nec supplere illius defectum; Deus quippe in genere causæ materialis, aut formalis concurrere non potest, nec hoc arguit imperfectionem aliquam, sed perfectionem, cum illæ duæ causæ involvant imperfectionem & mutationem: at concursus causæ efficientis est Deo proprius, & maximè facit ad illius perfectionem; unde sicut hic positus omnibus ad operandum requisitis potest Deus suspendere concursum debitum, ut contigit in igne Babylonio, ita & præbere potest indebitum.

*VII.
Obijciatur
hanc poten-
tiam fore
naturalem.*

Obijciat quintò P. Coninck n. 115. Si ignis habeat potentiam ad producendum frigus, & aqua ad calorem, sequeretur hanc potentiam non esse obedientialem, sed naturalem, & concursus Dei ad hos effectus esse iis debitum, ideo enim debetur igni concursus ad calorem, quia habet in se virtutem illius productivam, ergo si habeat etiam virtutem productivam frigoris, debetur etiam ei concursus ad frigus. Contrà, habet anima potentiam ad actus supernaturales, cur ergo ei non debetur concursus ad illos? Dices; quia sunt effectus simpliciter supernaturales, & consequenter concursus ad illos est simpliciter indebitus. Contrà, ergo saltem dari potest in aqua potentia ad gratiam, & alios effectus simpliciter supernaturales, quin sequatur concursus ad illos esse debitum. Sed quidquid sit de hoc,

*VIII.
Variis in-
stantiis re-
solvitur præ-
cedens ar-
gumentum.*

Contrà secundò, in materiâ est potentia ad duas formas substantiales, in lapide, vel ligno ad duas qualitates contrarias in summo, in aquâ & aëre, ad calorem ut octo, in corpore ut sit in duobus locis, in albedine ut creetur &c. quæro ergo utrùm potentia corporis ut sit in duobus locis, vel accidentis ut creetur, & sic de cæteris, sit naturalis? non arbitror quemquam hoc dicturum, præsertim si naturale illud sit, ut volunt adversarij, quod exigit id ad quod est aptitudo, seu potentia, nullus enim admittit corpus exigere ut sit in duobus locis, aut aquam, vel aërem petere calorem ut octo, &c.

*IX.
Occurritur
replica.*

Dices; ubi datur potentia in rebus naturalibus ad effectus naturales, petit hæc potentia per alia principia compleri; unde oculus petit speciem, ergo & aqua petit concursum ad Angelum. Distinguo

antecedens, petit compleri in ordine ad operationes; ad quas peculiariter ordinatur, concedo antecedens; ad quas generaliter solum habet potentiam, nego, ut ostensum est in exemplis jam positis.

Unde mihi hæc potentia cujuslibet rei creatæ ad quidlibet non incongruè videtur dici posse universalem instrumentaria, sicut Dei potentia est universalis principalis. Quare sicut potentia Dei universalis ad effectus creatos non petit compleri, nec ullam intulisset Deus violentiam suæ omnipotentiae, si nullam omnino creaturam produxisset (quo tamen casu non minùs potuisset cum igne producere ignem, aut cum sole lucem, quàm nunc aqua sine concursu Dei potest producere Angelum) sic nullam violentiam potentiae universali instrumentariae lapidis, aut formicae infert quòd iis concursus non præbeat ad producendum solem, sed hæc potentia universalis instrumentaria creaturarum non minùs substat perfectissimæ libertati Dei, quàm potentia universalis principalis ipsius Dei.

Obijciatur sextò: si Deus elevare possit aquam aut formicam ad producendam gratiam, aut solem, quidni etiam elevare eam poterit ad operandum liberè? Contrà primò, cur ergo non poterit materia prima, aut formæ materiales elevari ad recipiendam unionem Hypostaticam liberè? Contrà secundò, cur irrationalis natura, sicut potest elevari ad unionem cum Verbo, non poterit etiam elevari ad constituendum personam? Dices; quia non est natura rationalis. Contrà, nec aqua aut formica est potentia libera, hæc autem sola est capax operationis liberæ, quæ procedere debet à cognitione indifferente, & consequenter à potentiâ aptâ per ejusmodi cognitionem intelligere, hæc autem non est aqua, aut formica, ut contat.

SECTIO VI.

Solvitur alia obiectio contra potentiam obedientialem.

Obijciat septimò P. Coninck num. 116. & 117. ex hac sententiâ sequi, posse brutum intelligere, & velle, oculum audire, aurem videre &c. potest enim juxta nos brutum efficere & recipere intellectiōnem, auris visionem, auditionem oculus, &c. ergo & intelligere, videre, & audire. Quòd si dicas non esse subiecta apta. Contrà, licet naturaliter non sint subiecta apta ad has formas efficiendas, & recipiendas, sunt tamen supernaturaliter, ergo licet naturaliter intelligere, videre, & audire non possint possunt tamen supernaturaliter.

Ad solutionem notandum, non omne subiectum quod est aptum ad recipiendum formam aliquam, vel quasi formam, esse aptum ad recipiendum omnem illius effectum formalem, & denominationem: si anima Christi denominatur sancta à sanctitate increatâ, seu naturâ Divinâ, quæ est ipsa intellectio Divina, & tamen non determinatur per eam intelligens: sic natura irrationalis, ut leo, lapis, vel lignum secundum adversarios potest assumi à Verbo, cum tamen non ei tribueret substantia Verbi denominationem Filij Dei, Personæ, &c. sicut tribuit naturæ rationali: substantia item increata denominat Humanitatem dignam gloriâ, quam tamen denominationem non tribueret lapidi: Gratia item habitualis non denominabat Christum Filium adoptivum sicut denominat alios homines. In rebus etiam naturalibus species visibiles receptæ in aëre & oculo, hunc denominant visivum, non illum. Actio educativa subiectum denominat patiens, terminum productum, & sexcenta hujusmodi.

D d 4

Ad

III. *Ostenditur brutum non posse elevari ad intelligendum.*
Ad argumentum itaque Resp. cum non omne subjectum, quod est capax formæ, etiam in naturalibus, sit capax omnis illius effectus formalis, ut constat in exemplis jam illatis. Resp. inquam, licet brutum elevari possit ad efficiendum & recipiendum a-ctum intellectus, aut voluntatis, non sequi, posse elevari ut per eum intelligat, & velit. Ratio est, quia sicut in omnibus aliis formis, ita & hic, ad tribuendum effectum formalem requiritur certa quædam proportio in prædicatis inter formam & subjectum: unde intellectio non tribuit effectum suum formalem nisi intellectui, nec visio nisi oculo, & auditio auri, à quocumque efficiantur & recipiantur.

IV. *Ratio à priori cur oculus non possit audire, nec brutum intelligere.*
Cum ergo Deus facere non possit ut imaginatio bruti sit intellectus, aut auri oculus &c. (cum mutare nequeat prædicata earum essentialia) non potest facere ut brutum intelligat, auri videat &c. Sicut quia non potest facere ut lapis & leo sint rationales naturæ, non potest illos facere personas, amicos, vel filios adoptivos, dignos gloriæ &c. quantumcunque eos assumat Hypostaticè: & tamen hic urgeri posset replica in argumento posita, nempe brutum licet naturaliter non sit subjectum aptum ad intelligendum, esse tamen supernaturaliter: sic enim simili formâ argui posset, lapis aut brutum, licet naturaliter non sit subjectum capax dominationis personæ, amici Dei, filij adoptivi, &c. esse tamen potest supernaturaliter; cum supernaturaliter capax sit illius formæ, quæ hos omnes effectus tribuit naturæ rationali: vel fatendum est non sequi, subjectum est capax alicujus formæ, ergo omnium illius effectuum formalium. Concursum verò causæ efficientis, cum sit quid extrinsecum rei quam juvat, potest suppleri à Deo, non potest suppleri formalis.

V. *Non magis sequitur brutum posse intelligere, quam posse esse per sonam, aut amicum, & filium Dei.*
Urgent recentiores aliqui, & quærent, unde sciamus brutum non esse capax denominationis intelligentis? Contrà, unde sciunt ipsi idem brutum non esse capax denominationis personæ à personalitate Divinâ, filij adoptivi, amici Dei &c. unde etiam sciunt, materiam seu corpus Christi non esse gratum, amicum, & filium Dei? Quicquid ipsi responderint, respondemus & nos, & his instantiis puto infringi omnia illorum argumenta: nec certè video, cur magis teneat hæc consequentia, brutum est capax effectus & receptionis actus intellectus, ergo est capax denominationis intelligentis, quàm hæc, corpus Christi, aut leo est capax personalitatis, & gratiæ increatæ, ergo est persona, gratus, amicus, & filius Dei: nec cur sit legitima hæc consequentia, imaginatio bruti est apta obedientialiter ad efficiendum & recipiendum intellectionem, ergo non potentia intellectiva, magis quàm hæc, materia prima, aut equus est aptus obedientialiter ad terminandum subsistentiam naturæ rationalis, ergo est natura rationalis. Ratio autem unde colligamus in bruto non esse capacitatem harum denominationum, est, quia plurima inde sequuntur absurda, ut, quod equus & leo essent beati, amici Dei &c. quod verò brutum actus etiam supernaturales efficiat, quid incommodi?

VI. *Quæ pro- portio requiritur ut forma des effectus sui formalem sub jectis.*
Quæres, quænam proportio requiratur ut forma effectum suum formalem, & denominationem tribuat subjecto? Resp. difficile esse in hoc certam regulam assignare, nec est ad solutionem argumenti necessarium, cum adversarij, & omnes fateri debeant proportionem aliquam requiri, imò affirmant ipsi pro potentia obedientiali activâ non posse generalem regulam tradi, proinde hoc argumentum æqualiter solvendum est omnibus. Communiter ergo ut forma subjecto tribuat effectum, requiri videtur, ut licet subjectum non petat talem formam, forma tamen petat subjectum; ex quo fit, ut licet visio beatifica non sit connaturalis animæ, aut Angelo, anima

tamen & Angelus sint subiecta connaturalia visionis beatificæ, quæ nimirum peculiari modo produci postulat in intellectu animæ, & Angeli. Quæ etiam suo modo est ratio cur auditio non redderet oculum audientem, nec visio aurem videntem, intellectio brutum, aut lapidem intelligentem &c. quantumvis in iis miraculosè ponerentur.

VII. *Non hinc sequitur rem quavis fore omnipotentem.*
Mitto alia argumenta minoris momenti, ut, sequi, rem quamlibet esse omnipotentem, cum possit quilibet. Primum enim non potest quilibet, cum se producere primum non possit: deinde, omnipotentia est virtus cuncta primario producendi, & sine indigentia alterius, non instrumentaliter & cum dependentiâ ab alio.

VIII. *Nec sequitur Angelum videntem rem animam, videre omnem.*
Nec est inconveniens muscam vel lapidem dependere à possibilitate omnium rerum, & transcendentali ad ea ordinem dicere. Neque tamen hinc sequitur Angelum videntem intuitivè muscam, cognoscere res omnes possibiles, non est enim necessarium ut quicquid videt Angelus, videat perfectissimè, & comprehendat in ordine ad omnes effectus possibiles: sicut nec juxta adversarios Angelus videns animam, aut alium Angelum, cognoscit gratiam, visionem beatificam, aut unionem Hypostaticam, & alia dona supernaturalia. Quæ omnia latè supra discussa sunt d. 5.

SECTIO VII.

Vtrum elevari aliquid possit ad creandum.

I. *Prima sententia est negativa: ita Albertus in 2. d. 1. ar. 7. Scotus in 4. d. 1. q. 1. Valen. 1. p. d. 3. q. 2. p. 4. §. sed contraria: Molina 1. p. q. 45. ar. 3. disp. 2. Fonseca 5. M. t. c. 2. Granado 1. p. Cont. 6. d. 4. nu. 3. & alij, qui licet potentiam obedientialem in rebus propè omnibus concedunt ad reliquos effectus, negant tamen elevari rem ullam posse ad creandum.*
Prima sententia est negativa: ita Albertus in 2. d. 1. ar. 7. Scotus in 4. d. 1. q. 1. Valen. 1. p. d. 3. q. 2. p. 4. §. sed contraria: Molina 1. p. q. 45. ar. 3. disp. 2. Fonseca 5. M. t. c. 2. Granado 1. p. Cont. 6. d. 4. nu. 3. & alij, qui licet potentiam obedientialem in rebus propè omnibus concedunt ad reliquos effectus, negant tamen elevari rem ullam posse ad creandum.

II. *Non est de conceptu instrumenti aliquid præviè operari.*
Ratio eorum est primò: quicquid enim elevatur est instrumentum, instrumentum autem præviè aliquid producere debet in passo: si ergo, inquam, semper necessariò habeat passum & dependenter ab illo operetur, non creat. Sed contrà, nam suprâ d. 24. c. 2. ostendi non esse de conceptu essentiali instrumenti, ut aliquid præviè operetur. Instrumenta etiam naturalia tantum requirunt passum, non supernaturalia. Deinde concedunt plerique ex his auctoribus Sacramenta physicè producere gratiam in animâ, in quâ tamen aqua vel verba nihil efficiunt præviè.

III. *Ratio eorum est secundò, quia in effectu debet semper esse formalitas aliqua quæ correspondeat causæ.*
Ratio eorum est secundò, quia in effectu debet semper esse formalitas aliqua quæ correspondeat causæ. Contrà, quæ formalitas in gratiâ correspondet aquæ, & aliis effectibus, quos tamen hi auctores plerumque concedunt posse obedientialiter produci? Gratis ergo ad creationem requiritur hæc conditio.

IV. *Potest creatura elevari ad creandum.*
Dicendum itaque posse creaturam elevari ad creandum; ita Suarez d. 20. Met. f. 3. Albertin. to. 1. princ. 2. coroll. 1. n. 32. Tannerus 1. p. d. 6. q. 1. d. 2. num. 10. Hurt. d. 12. phy. sc. 7. n. 118. Arriaga d. 11. Phys. f. 5. n. 106. Oviedo cont. 13. Phy. p. 4. n. 12. quoad creaturas possibiles; & alij.

V. *Elevari potest aqua ad creandum ignem, & calor ad creandum frigus.*
Lapis ergo elevari potest ad creandum solem, & mulca ad creandum Angelum. Imò aqua elevari potest ad creandum ignem, & calor ad creandum frigus. Fortè etiam alicui videbitur posse peccatum elevari ad producendum, vel creandum gratiam; non tamen potest, vel gratia, vel ulla omnino creatura elevari ad producendum peccatum, ut dixi suprâ sec. 4. num. 3. Ratio conclusionis est, quia cum nulla in hoc

hoc appareat repugnantia, ut vidimus ex solutione argumentorum, probationes suprà sect. 4. adductæ æquè de creatione urgent, ac de aliis effectibus.

quàm non potest creare seipsum. Resp. posse Angelum elevari ad secundò creandum seipsum, ut suprà ostendi d. 19. sanctus autem Augustinus loquitur solum de productione, & creatione naturali.

VI. Objiciet aliquis S. Aug. l. 9. in Gen. c. 15. ubi asserit Angelum tam non posse quamvis rem creare,

DISPUTATIO XXVIII.

De Causâ primâ.

SECTIO PRIMA.

Utrum Causa prima immediatè cum secundis concurrat ad omnes suos effectus.

I. Causa prima, ut ab omnibus communiter definitur, est primum rerum omnium creatarum principium, quodq; à nullo alio sumit originem. Dari causam primam hic in libris Physicorum probant multi: commodius tamen hujus rei discussio differtur in metaphysicam.

II. Circa modum quo Deus ad operationes rerum creatarum concurrat, Durandus in 2. d. 1. q. 5. & dist. 37. q. 1. ut quasdam difficultates evitet, & præcipuè quomodo Deus non sit auctor peccati, ait creaturas non indigere immediato concursu creatoris ad omnes suas operationes, sed solum requirere ut ab ipso producantur, & conserventur, juxta illud Joannis 1. omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & ad Rom. 11. v. 36. ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: item ad Hebr. 1. v. 3. portans omnia verbo virtutis sue: & alibi sæpè: quo posito, inquit Durandus, operari poterunt per se sine immediato Dei concursu, imò & de facto ita ait contingere.

III. Hæc tamen sententia antiquior videtur fuisse Durando: quam etiam sententiam defendit Nicolaus Bonetus l. 7. Theol. cap. 3. & non ita pridem P. Frat. Ludovicus à Dolâ libro de hac ipsa re scripto (ubi hanc quæstionem fusè & eruditè tractat) hoc idem ostendere conatur, multis ad id sanctorum Patrum ac Theologorum congestis testimoniis.

IV. Alij tamen acerrimè in hanc sententiam invchuntur, gravissimæque ei censuras incurrunt. S. Thomas in 2. d. 37. q. 2. ar. 2. ait eam proximam esse duobus erroribus, nempe esse duo prima principia unum bonorum, alterum malorum & Deum non esse causam universalem. Albertus Magnus in 2. d. 35. art. 7. dicit hanc sententiam à multis modernorum appellari hæreticam. Suar. d. 22. Met. f. 1. n. 7. ait eam esse erroneam in fide: & l. 1. de concursu Dei sic habet, ab omnibus probatis Theologis non solum reprehenditur, sed etiam ut error in fide rejicitur sententia Durandi & c. Bellar. l. 4. de gra. & lib. arb. c. 4. illam vocat errorem, & scripturis, Patrum testimonij, & manifesta rationi repugnare asserit. Molina parum ait esse tutam in fide. Vasq. 1. 2. d. 129. c. 3. n. 8. ait hanc sententiam Durandi erroris nomine ab omnibus scholasticis tandem esse rejectam. Conimb. Murcia, & alij hanc Durandi sententiam appellant periculofam, temerariam, erroneam, & Durandissimum, nec mitius de ea loquuntur, quam Orthodoxi de Arianismo, & similibus. Capreolus in 4. d. 12. q. 1. ad 1. eam asserit esse sententiam Manichæi. S. Hier. Epist. ad Ctesiphontem docet hanc sententiam esse doctrinam Pelagij, qui, inquit, S. Hieron. dicebat Deum collato semel libero arbitrio, ulterius nobis ad operandum non esse necessarium, loquiturque de operationibus naturalibus, ut de motu manû, de ambulatione, & si-

milibus. Quod etiam fuisse placitum Lutheri docet Camerarius 1. de gratia & lib. arbitrio c. 10 §. 3.

Ego censuram de hac sententiâ non fero; hæc verò eò adduxi, ut ostendam quale judicium Philosophi ac Theologi, tum moderni tum antiqui de eâ formaverint: qua de re, cum tot ac tales viri conspirent, signum est, aliquid in eâ latere, ob quod digna non sit, ut ullus vir doctus illius patrocinium suscipiat. Unde meo judicio Pater Dola, qui virum se doctum & eruditum ostendit, melius & utilius in aliâ quæstione illustranda operam suam posuisset.

Secunda itaque & vera sententia docet, Deum, non virtutem tantum in actu primo operatricem rebus omnibus conferre, sed cum iis etiam ad singulas actiones immediatè & proximè concurrere: ita Doctor Seraphicus in 2. d. 37. art. 1. qu. 1. dicens hanc sententiam absque omni ambiguitate esse tenendam: unde mirum est, eum à P. Dola citari pro contrariâ. Scotus in 2. d. 1. & 37. q. unica. Gabriel, dicens hanc esse indubitatam opinionem apud Catholicos: Gregorius in 2. d. 35. qu. 1. ar. 3. Suar. d. 22. Met. f. 1. nu. 7. & l. 1. de concursu Dei c. 4. n. 2. dicens hanc esse veram & certam doctrinam, & in qua reliqui omnes, præter Durandum, conveniunt. Bellar. citatus; Vasq. 1. 2. d. 129. c. 2. ubi eam variis Scripturæ & S. Augustini testimoniis illustrat. Hurtado d. 10. phy. f. 2. n. 24. Arria. d. 10. phy. f. 1. nu. 7. Oviedo cont. 10. p. 1. n. 5. & alij.

Probatur primò tribus illis Scripturæ locis, nu. 2. allatis, quæ propriè nisi de concursu Dei immediato intelligi non possunt. Secundò, ex illo A. & 17. v. 28. in ipso vivimus, movemur, & sumus, ubi particula movemur, & sumus immediatam denotant dependentiam in existentia. Particula etiam in in phrasi Scripturæ idem sonat ac per, seu auxilio alicujus, & adjutorio fieri ut Psalm. 17. v. 20. In Deo meo transgrediar murum, & Psalm. 59. v. 14. In Deo faciemus virtutem, id est, Deo nobiscum cooperante, & concursum suum præbente.

Idem efficacius probatur ex illo Isaïæ 26. v. 12. Domine omnia opera nostra operatus es. Item 1. ad Cor. 12. v. 6. ait Apostolus qui operatur omnia in omnibus. Deinde Joan. 5. v. 17. dicit Christus, Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Quibus verbis utitur S. August. To. 3. lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. aitque Deum non magna solum, & præcipue in nobis operari, verum etiam ista terrena & infima.

Hæc Scripturæ loca, licet (ut fatear quod res est) Deum cum creaturis ad omnes earum operationes immediatè concurrere non convincant, quisquis tamen indifferenti ea oculo inspexerit, inficiari nequit quin hanc sententiam valdè reddant probabilem: præsertim cum vix quidquam è Divinis litteris proferatur, quod opinionem, immediatam hunc Dei concursum negantem (excepto fortè actu peccati, de quo postea) vel probabiliter suaseat. Deinde, in Symbolo Concilij Nicæni habetur, Deum esse factorem visibilium omnium, & invisibilium, quod sine concursu Dei immediato vix commodè videtur explicari posse.

P. Hur-